

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PHARMACOLOGICA

D E

SAPONE MEDICATO,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

D O M I N I

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

D E C A N I,

NEC NON

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

P R O

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE VINDOBONENSI

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

Moses Beiser,

Galicianus Leopoldanus.

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 16. Maji 1835.

V I N D O B O N A E.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Dixeris egregie , notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum.



Horatius.

Seinen
innigst geliebten
Eltern und Geschwistern,

seinem
theuersten Schwager

Leon Sax,

Bürger und Hausinhaber
zu Stanislawow in Galizien,

und

den Familien

Kayser und Mahr,

Bürgern und Hausinhabern in Wien

widmet

diese Blätter

als ein Zeichen der innigsten

Liebe, Verehrung und Dankbarkeit

der

Versasser.

... ..

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

PROOEMIUM.

En, et mihi ille illuxit dies, ubi dissertationem inauguralem publici juris facere licuit — ast in ordito labore, jamjam vires superatas perspexi, tamen pro viribus, simul et brevi temporis intervallo, praestare studui. — Quid enim in objecto medico pertractando ad hodierna usque tempora a viro juvene, e schola vix egresso, postulandum? — certe si ullum hisce paginis inesset, benevole Lector, pretium, hoc nunquam in materiae hujus complicatione ornamentisque scientificis novis, a me prolatis, quaerendum. Legibus academicis satisfacturus, hanc potius occasionem lubenter

arripio , parentibus dilectissimis , sororis
marito , et benevolis amicis , publicas gra-
tias persolvendi.

Dabam Vindobonae diebus Maji 1835.



Auct or.

Pars chemica.

Admodum vaga, de ipsius saponis natura, ad nostra usque tempora erat idea. Ita celeberrimus *Hermbsaedt* in suo opere saponem omnem definit ut substantiam, quae, quin mutetur, in aqua, nec non spiritu vini, solvitur, aut saltem in ipsis his fluidis distribuitur liquorique proprietatem communicat, pinguedinem recipiendi. Hanc secundum rationem saponeratus, bilis, argilla, principium plantarum saponaceum et saponis explebant numerum. Recens autem *Chemia*, *saponem omnem combinationem* dicit *pinguedinis cujusdam cum aliqua basi*, quae sive substantia alcalina, sive terra, sive oxydum metallicum esse potest, ita, ut secundum opinionem modo vigentem, sapore vera ad *sales* pertineat, nulla solubilitatis ratione habita.

Notio historica.

Sapo (*Germ.* Seife; *Holland.* Zeep; *Gall.* Savon; *Angl.* Soap; *Ital.* Sapone; *Pol.* Mydło; *Boh.* Mýdlo; *Hung.* Szappan; *Graec.* το σμήγμα, ἡ σμύλη; *Hebr.* כרית), ad antiquissima praeparata chemica pertinet, quin et in sacris litteris nonnulli de Sapone mentionem factam volunt. (*Propheta Jeremias ejusdem jam recordatur.*) Certam autem saponis memoriam primus prodit *Plinius* in sua historia naturali. Post hunc

Galenus in suo opere de medicaminibus simplicibus loquitur de saponem, imo saponem in *Germania*, quo ex *Gallia* adferebatur, fabricatum potiore praedicat. Simili modo ut *Galenus* auctores *Arabi*, v. g. *Serapio*, saponem germanicum admodum commendant; en firmum testimonium, industriam germanicam his jam temporibus viguisse. Ante saponis detectionem et, invento jam hoc, ubi solummodo usui medico, vel ad summum luxui inserviebat, succi adhibebantur e plantis expressi ad purganda mundandaque linteamina. Licet Sapo *Plinii* temporibus jam enotuisset et saeculo decimo sexto jam in *Anglia* qua medicamentum in usum vocaretur, nihilo tamen minus celeberrimus *Tachen* in saeculo decimo septimo medio, primus erat, qui certam praescriptionem in lucem edidit ad saponem producendum. Jubet nempe per coctionem oleum olivarum, cum Potassae lixivio, calcis vivae ope, caustico facto, uniri, saponem obtentum indurescendum cum sale culinari conjungi; via, quam nostris adhuc temporibus in saponificatione sequimur. Duas clariss. *Duhamel de Monceau* et *Geoffroy* in lucem ediderunt formulas ad saponem efficiendum, in eo differunt, quod loco Lixivii Potassae, lixivium ex Soda commendant. —

Pinguedines.

In genere substantiae pingues in duas sectiones abeunt, quarum prima complectitur illas, quae media aëris nostri atmosphaerici temperie in statu fluido perennant, altera autem tales, quae eadem temperatura magis aut minus firmam consistentiam prae se ferunt; priores olea pingua, posteriores pinguedines sensu strictiori nominare fas est, quin limites certi

dentur inter utramque pinguedinum speciem; sic nonnulli *Oleum* de Cacao agnoscunt, nonnulli eandem substantiam *Butyrum* nominant. *Olea pingua* rursus subdividimus in *olea siccantia*, uti oleum lini, cannabinum, papaveris, et *non siccantia*, uti praecipue oleum amygdalarum, olivarum, quin etiam hic limites certi stabiliri possint, ubi siccantia olea in non siccantia quasi transeant. Pinguedines sensu strictiori rursus in tales subdividi possunt, quae media aëris temperatura consistentiam firmam habent, (*Talg*) et in tales, quae eadem temperatura semper adhuc lentorem quemdam retinent, (*Butter*).

Berzelius dividit substantias pingues in tres classes a) *olea non siccantia*, b) *olea siccantia*, c) *olea consistentiae firmae*.

Ceterum substantiae pingues secundum *originem* suam, in *duas classes* dividi possint: in *pinguedines animales* et *vegetabiles*, quam divisionem etiam sagacissimus *Thenard* sequitur.

In statu puro pinguedines sunt insipidae et inodorae et solummodo substantiis peregrinis admixtis et aëris oxygenio et lucis influxui saporem et odorem hinc inde debent. Specifico leviori gaudent pondere ac ipsa aqua, et in statu liquido a corporibus porosis, uti charta, lana, telis absorbentur et maculam in iisdem producent. — Non solvuntur in aqua, spiritum vero vini calefactum, aetheres et olea aetherea qua menstrua agnoscunt. Temperaturae altiori expositae sunt inflammabiles, praecipue, ubi a corporibus porosis inflammabilibus, e. g. lana absorbentur. — Non sunt volatiles, nec ebullitionis punctum agnoscunt; ubi enim ad speciem coctionis punctum in ipsis intrat, aut humidum avolat, aut decompositio jam incipit et producta inde corpora gasosa aufugiunt. Ope

calinarum terrarum et oxydorum metallicorum in substantiam particularem et in acida mutantur, aut si magis decomponuntur, et *sapones* formant. Consistunt ex *hydrogenio*, *carbonio*, et *oxygenio*; secundum celeb. *Saussure* in iisdem etiam *azotum* invenitur. — Ante notatu dignissima experimenta celeb. *Braconnot* et *Chevreul* credebantur pinguedines pro diversa origine etiam quoad naturam internam differentes; his autem viris ducti, didicimus, consistere pinguedines duabus substantiis, quarum una media aëris temperatura consistentiae firmæ, altera ad $+4^{\circ}$ Réaum. in statu fluido persistit. Prior a vocabulo graeco *σεια* (*Talg*) *Stearina*, altera a vocabulo *ελαιον* (*Oehl*) *Elaina* nuncupata est. A relativa horum constituentium proportione, firmiter aut magis liquida pinguedinum consistentia dependet. Chimici hucusque triplicem viam ingrediebantur, in finem has duas substantias in pinguibus substantiis separandi, aut alcohol in usum vocantes, in quo coctionis ope utriusque fit solutio, ex qua refrigerata *Stearina* sola praecipitatur, aut saponificationis utuntur processu ipso, utpote *Stearina* prius ac *Elaina* saponificationis processum intrat, (*Peclet*) aut denique diversum liquationis gradum adhibent, ut *Stearinam* ex oleis ad 0° R. refrigeratis mechanica per chartam bibulam pressione ab *Elaina*, hac temperatura adhuc liquida, separant, quae ultima per chartam bibulam absorbetur et coctionis ope in aqua destillata inde separatur, cui deinde olei liquidi adinstar innatat.

Proprietates. *Stearina* (*Suif absolu Braconnot*) est candida, albicans, insipida, inodora, texturae crystallinae, nec acidam ostendit reactionem, calefacta in locis aëre vacuis secundum *Chevreul*, quin decomponatur, volatilis, aëris autem contactu ad-

misso, pro parte decomponitur; non solvitur in aqua, solvitur autem alcohole, aethere et oleis aethereis; liquefit diversis temperaturae gradibus, id quod pro parte ab origine ejusdem, multo magis autem a puritatis gradu dependet.

Analysis chimica celeb. *Chevreul Stearinae* sequens est:

Carbonii	78,776.
Hydrogenii	11,770.
Oxygenii	9,454.

Secundum *Saussure* constat *Stearina* olei olivarum ex:

Carbonii	0,82170.
Hydrogenii	0,11232.
Oxygenii	0,06302.
Azoti	0,00296.

Elaina autem est absque colore, inodora, saporis parum dulcis, nec acidam ostendit reactionem, est fluida, calefacta sub aëris contactu in flammam erumpit, in locis aëre vacuis et sub aëris atmosphaerici praesentia eadem in genere, ut *Stearina*, prae se fert qualitates, eademque agnoscit menstrua. Multis gradibus infra 0° R. rigescit; nonnullae species (*verosimiliter purissimae*) oleosum lentorem in omni temperatura retinent. Analysis chimica secundum *Chevreul*.

Elaina pinguedinis humanae consistit ex:

Carbonii	78,566.
Hydrogenii	11,447.
Oxygenii	9,987.

Elaina pinguedinis suillae consistit ex:

Carbonii	79,030.
Hydrogenii	11,492.
Oxygenii	9,548.

Secundum *Saussure*:

Elainu olei olivarum consistit ex:

Carbonii	0,76034.
Hydrogenii	0,11545.
Oxygenii	0,12068.
Azoti	0,00353.

Praeter adductas has duas substantias in quibusdam pinguedinum speciebus certae aliae quoque substantiae deteguntur, verosimiliter horum odoris peculiaris fontes. Diu Chimici adnisi sunt principia haec odorifera detegendi, donec continuis celeb. *Chevreul* laboribus victrix palma concessa fuerit. Novimus inde materiam *Phocaeninam* ex oleo *Delphini globicipis* et *Delphini Phocaenae*; *Butyrinam*, materiam ex *Butyro*; *Hircinam* ex *sebo Ovillo* a *Capra hircus* derivato. Alia substantia *Stearinae* plane analogae, est materia *Cetina*, pars principalis sic dicti *Spermatis Ceti*, in quo cum oleo spermatis Ceti conjuncta reperitur; et celeb. *Chevreul*, (*Chevreul's Recherches sur le corps gras*) simul nobis modum communicat, substantias has chemice puras praeparandi. His substantiis adnumerantur *Cerina* et *Myricina*, in cera vulgari praesentes, et celeberrimi *Bucholz* et *Brandes*, modum *Cerinam* et *Myricinam* ex Cera separandi harumque proprietates penitus perscrutati sunt.

Divisio Saponum.

Sapones in duas classes secedunt magnas:

- 1) *Sapones in aqua solubiles.*
- 2) *Sapones, qui solventibus aquae viribus resistunt.*

Classis primae saponem *basim* agnoscunt *alcalinam*, classis alterius *terrestrem* aut *metallicam*.

Sapones primae classis cum basi alcalina iterum subdividuntur in :

a) *Sapones liquido-molles* (*Schmierseifen.*)

b) *Sapones solidos* (*feste Seifen.*)

Sectio a) illos complectitur, qui semper oleum lentorem prae se ferunt et, quamvis diligentissime exsiccati, humiditatem ex aëre iterum attrahunt.

Sectio b) illos vero continet, qui, post praeparationem refrigerati, indurescunt et sub aëris contactu exsiccantur.

Sapones classis secundae, in aqua non solubiles, quoad basim suam dividi possunt in :

a) *Sapones terrestres* (*Erdseifen.*)

b) *Sapones metallicos* (*Metallseifen.*)

Omnes Sapones quoque dividi possunt in Sapones *ex oleo* et in Sapones *ex pinguedine* confectos. Nihilominus tamen divisio ex consistentia praeferenda, quoniam oleum saponem gignit liquido-molles et solidos, proinde magis consentaneum nobis videtur, saponem solidum in aqua solubilem in eos, qui ex *oleo*, et in eos, qui ex *pinguedine* conficiuntur, discernendi.

Methodus Sapones praeparandi in genere.

Praecipuae conditiones ad saponificationem sunt : *Lixivium causticum*, *substantia pinguis* in sensu latiori, et *dexteritas technica*, has duas substantias debito modo conjungendi.

Nec omnis pinguedo aequè facili modo saponificationis processum ingreditur; quo nimirum plus *Stearinae* continent, eo aptiores in hunc finem reperiuntur; quae *Elaina* abundant minus conveniunt; inde est, cur oleum olivarum multo facilius quam

oleum seminum Lini saponificationis processum subeat. Sola *Lixiva*, *Soda* et *Ammonia* producunt saponem in aqua solubiles, omnes reliquae bases saponem exhibent insolubiles. Illud tamen generatim adnotandum observandumque, solutiones supra nominatorum saponum magis subtilissimae divisioni mechanicae aequiparandas esse; celeberrimus enim *Fourcroy* in sapone vulgari et in sapone ammoniacali animadversionem iteratis vicibus fecit, solutionem horum tenuissimam per chartam filtratam, lentissime per filtrum transire, relicta in filtro materia pultacea et in ipso liquido filtrato pauculum *Glycerinae* materiae et salium mineralium reperiri, inde etiam est, quod solutio cujusvis saponis nunquam plane pellucida sit.

De Sapone medicato in specie.

Ad *Sapones in aqua solubiles* pertinet quoque *Sapo medicatus* seu *medicinalis*. — Variis temporibus a diversis chemicis variae normae in lucem proferebantur, ad saponem, usui medicato interno destinatum, rite conficiendum. Saeculo elapso *Spielmann* normam publici juris fecit, praescribens: quatuor partes *Butyri de Cacao* et partem unam *Sodae purae* trituratione uniendi. Quum autem *Soda* pura, quin humida sit, aut nunquam, aut admodum difficulter in pulverem redigi potest et ipsam saponificationem lentissime et ea saltem ratione ingreditur, qua humidum ex aëre attraxerit, *Spielmanni* norma postea commutata est, quod saponificatio supra dictarum substantiarum, coctionis ope cum duplici quantitate aquae facta fuerit.

Circa annum 1785 celeb. *Brandis* oleum olivarum in usum vocavit, invenitque pro parte una olei partes tres Sodae purae requiri.

Secundum clar. *Westrumb* 1797 duae partes *Lixivii potassae vulgaris* ejus concentrationis, ut ovum ipsi innatet, cum octo partibus *olei olivarum* sub continua agitatione coquuntur, donec miscela spissescere incipiat; tunc adponitur *salis culinaris* pars, quae quintam totius massae aequet, id, quod indurationem massae et separationem saponis adducere autumat.

Kastner 1803 in annalibus celeb. *Trommsdorf* suadet saponem ex *lixivio Sodae et sebo ovillo* componere; talis autem sapo odorem hircinum ingratum gerit. Diversae pharmacopoeae diversas formulas continent sive cum oleo olivarum, oleo amygdalino, de Cacao etc. saponem praeparandi. Pharmacopoea cel. *Ferrarini* et pharmacopoea generalis clar. *Taddei*, jubent saponem *Alicantinum* aut *Venetum* in novem partibus spiritus vini solvi, quo facto, alcohole destillatione separato, massa residua exsiccat, et usui medico adservatur.

Secundum pharmacopoeam austriacam, bavariacam, borussicam, gallicam, hispanicam, polonicam etc. *Saponem medicatum* sequenti ratione parare conveniet: Pars una *lixivii Sodae purae* gravitatis specificae 1,333 cum partibus duabus *olei olivarum (amygdalini)* optimi, trititando uniuntur et massa, homogenea evadens nec non spissescere incipiens, in capsulas ligneas, charta vestitas, effunditur, tunc in loco umbroso, moderate tepido (+ 20° — 25° Réaum.) exsiccat. *Sapo medicinalis* bonae notae est inodorus, nec alcalinum, nec causticum saporem pandit,

in charta maculam oleosam non relinquit, in spiritu vini et aqua penitus solvitur.

Theoria saponificationis.

Dudum jam Chimici compertum habent, pinguedines, acidorum ope, ex Saponibus diversis separatas, longe alias proprietates prae se ferre, ac ante saponificationem possidere; in alcohole nimirum facile solvuntur, et acidam manifestant reactionem, quam ultimam proprietatem quidem ab exigua quantitate acidi, ad separationem pinguedinis ex sapone adhibiti, derivarunt naturae scrutatores. Celeberrimus *Chevreul* experimentis permultis ductus, nos certiores fecit, quod alcalia et aliae substantiae basicae fortiores, uti: hydras magnesiae, oxydum plumbi et zinci etc. in pinguedines, juvante aqua et calore actionem chemicam exercentes, affinitate disponente has pinguedines decomponent, et partes earum constituentes remotiores cogant, inter se, et cum illis aquae ea ratione sese uniendi, ut inde duo exsurgant acida: *acidum* sic dictum *margaricum* seu *stearicum* et *acidum elaicum*, nec non altera quaedam substantia organica, non acida, sic dicta *materia dulcis Scheeliana*; quarum ultima in aqua solvitur, priores duae cum substantia alcalina, cujus intercessu formabantur, in saponem congregiuntur. Secundum hanc recentiore theoriam, *sapo medicinalis nil aliud est, ac Soda margarica cum Soda elaiica.*

PARS THERAPEUTICA.

In sapone vis alcalium stimulans mitigata, solvens tamen, involvens, aperiens, acidum obtundens sat magna. *Dosi parva* secundum celeb. *Jahn* ventriculum et intestina ad actionem alacriorem excitat, secretionem humorum, ad digestionem spectantium, adjuvat, bilis, sanguinis aliorumve humorum uberiorem adfluxum concitat, alvi excretionem adauget, acida chemice decomponit, venena obtundit, et forsitan stimulo quodam inamoeno, in ventriculo enato, in nervos remotos agit; ex qua causa usu continuo ventriculum et intestina debilitat, dyspepsiam producit ac vires digestrices imbecilles reddit atque *dyscrasiam scorbuticam* relinquit. Nonnulli affirmant, saponem functionibus organorum genitalium mulierum inimicum esse, conceptionem impedire, imo abortum producere. (?) Cum vires ejusdem nonnisi lente expellantur et solummodo in canalem alimentarem et organa, cum eodem proxime juncta, limitentur, in sequentibus morbis quam maxime adhibetur:

1. *In morbis chronicis organorum abdominalium*, qui ex stasibus sanguinis et obstructionibus lienis, hepatis et venae portarum oriuntur, in inertia systematis venosi, ictero et hydrope exinde natis, in impedita bilis secretionem, cholelithis, in haemorrhoidibus, infarctibus, in adfectionibus rheumaticis, arthriticis et hypochondriasi.

2. *In acido primarum viarum*, praecipue in ructibus acidis, colica et spasmis inde oriundis infantum; ad solvendos calculos urinales, eos praeprimis, quos acidum lithicum pro maxima parte constituit; in

stranguria et spasmis vesicae, cum symphoresi organorum nro-poëticorum junctis.

3. *In scrofulis et obstructionibus glandularum*, si ex debilitate universali systematis lymphatici nascuntur, in cachexia lymphatica glandularum mensenterii (*Kortum*); in tuberculis pulmonum, phthisi pituitosa, in rhachitide; in adiposi, (cum processum nutritionis et reproductionis morbose exaltatum inhibeat. *Malcolm Fleming*).

4. *In anomalia menstruorum, chlorosi.* (*Richter*).

5. In dosi majori sapo adhibetur aqua solutus in *intoxicacionibus* ab acido muriatico, sulfurico, nitrico etc. Ad resolvenda et mitiganda venena corrodentia, quae arsenicum, hydrargyrum, cuprum, stibium et alia metalla largiuntur, auctore expertissimo in his rebus *Orfila*, non praestat, quantum medici complures inde promittunt.

Nutritionis processus quacunq[ue] ratione *languens* saponis usum internum interdicit, ut qui colliquationem adducens, vires vitales exhaurit. Constitutiones sic dictae *lymphaticae*, cum systematis sanguiferi et nervosi functionibus moderato tenore incidentibus, saponis usui optime conveniunt.

Externa applicatio saponis merito magnis celebratur laudibus, ipsaque *balnea* ex sapone parata non parum in restituenda languida cutis functione praestant; cutem nimirum ab, in illa praecipitatis, secernendis productis liberant ipsumque hoc organon emolliunt, ejus functiones, expeditiores reddunt, secretiones et excretiones, in illa vigentes demum promovent, harmonicum concentum inter systema cutaneum et reliqua systemata adducunt. Organis autem cutaneis irritabilioribus ipsa balnea ex sapone minus conveniunt, nisi cum minore quanti-

tate saponis parata, addito simul lacte, temperentur. In individuis tenerioribus et infantibus *balnea ex sapone* bene vices, *balneorum ex alcalibus* paratorum, gerunt, utpote ob actionem multo mitiorem commendantur. Balnea ex sapone vasorum lymphaticorum functionem languidam incitant et a vasis lymphaticis resorpta, effectum suum super organa vitae vegetativae interiora, extendunt. Celeberrimus Professor *Herrmann* ejusmodi similia balnea in morbo scrofuloso in genere, in scrofulis abdominalibus, in exanthematibus scrofulosis, in ictero neonatorum iteratis vicibus summæ efficaciam invenit; quin in hepatis induratione incipiente, cum doloribus hujus organi magis pungentibus et hinc inde recurrentibus, in incipiente uteri scirrho, contra omnium expectationem multum saepe praestiterint.

Motas in *systemate nervoso* turbationes hinc inde sedant, si nimirum functio cutanea turbata cum his malis in nexu causali existit. Usus horum balneorum, post exantlata exanthemata acuta non suadendus, utpote cutem adeo irritabilem facile justo fortius offendunt.

Ubi saponis influxus solummodo in certas systematis cutanei plagas desideratur, *lotiones ex sapone* sufficiunt. Tales lotiones in *scabie* multum praestant et reliquam curam multum adjuvant. Saponis solutio in lacte a celeberrimis *Ribes* et *Hafelund* ad purgandum meatum auditorium externum, a cerumine indurato, commendatur, simili modo sapo ad maturandos *abscessus* in auxilium vocatur. Ad movendam alvum segniorem in stipsi alvina habituali et praecipue in spasmo intestini recti reiterato tonico clysteri additur.

Qui virtutem saponis solventem extollere et si-

mul systema arteriosum magis incitare et resorptionem promovere student, saponem cum aliis stimulantibus conjungunt. In hunc scopum *spiritus saponatus* et sic dictum *balsamum Opodeldoc* magnis laudibus, variis temporibus celebrata sunt.

Dosis et Formá.

Datur *sapo exsiccatus* in forma *pulveris* ad grana quinque aut decem pro dosi, bis aut ter de die. Saponis *solutio* in aqua destillata practicis medicis plerumque ex voto cedit, qua utuntur, ubi sapo in largiori quantitate et vehiculo quodam mitigatus desideratur, uti in intoxicationibus et ubi magna quantitate aegro propinandus est. Jubet *Hahnemann* libram saponis vulgaris, in quatuor aquae libris solvi, et aegris omnibus quinque aut decem minutis vasculum coffeanum propinare, ita, ut tota quantitas intra bihorium consumatur.

Quin tamen secundum clarissimorum medicorum experientiam saponis in his casibus adplicatio, lactis, mucilaginum, emulsionum, mellis et sacchari solutionis usum superfluum reddat; imo multum illis adjuvatur et non raro ab his remediis effectu feliciori superatur.

Forma usitatissima, qua sapo interne praecipitur, est forma *pilularum*, in quam sapo vel solus redigi potest; plerumque vero porrigitur in pilulis cum aliis solventibus et amaricantibus junctus. Potest sapo medicatus etiam cum substantiis *oleosis* admodum commode praescribi.

In concinnandis formulis saponem non licet combinare cum *acidis* et *salibus*, sive acidis, sive alcalinis, sive metallicis; ipsa quoque *alcalia* (aqua cal-

cis etc.) *infusa plantarum adstringentia* et *aqua fontana* saponem decomponunt et ejusdem virtutem medicam annihilant.

Balneis sapo rarus ab unciis tribus usque ad uncias sex pro adultis, pro infantibus ad uncias duas additur; simili ratione drachmae duae plerumque saponis in liquido pro *enemate* destinato, solvuntur.

Ad *cataplasma* partibus ceteris constituentibus, uncia una saponis additur; etiam *suppositoria* ad alvum sollicitandam adhibentur.

Celeberrimus Professor *Herrmann* in suo opere pharmacologico sequentes egregias formulas medicas, pro diversis saponis applicandi methodis, commendat:

F o r m u l a e.

A. Interno usui destinatae.

a) Pulveres.

1. Rp. Saponis medicinalis *grana decem*

Magnesiae muriae *grana tria,*

Misce, fiat pulvis, dentur tales doses *sex.*

Signa. Früh und Abends ein Pulver in einem Halbseidelglas Zuckerwasser zu nehmen.

2. Rp. Saponis Veneti *scrupulum anum*

Magnesiae albae

Seminis foeniculi *ana drachmam unam.*

Misce. Signa. Täglich vier bis fünf Mal eine Bohne gross zu nehmen. (Für Kinder.)

Jahn.

b) *Pilulae.*

3. Rp. Saponis medicinalis *drachmas tres*
 Asae foetidae
 Gummi Ammoniaci
 Fellis tauri inspissati *ana drachmam unam.*
 Misce, fiant pilulae *granorum duorum*, conspergan-
 tur pulvere seminum Foeniculi.
 Signa. Täglich zwei Mal zehn Stück zu nehmen.
Hecker.

4. Rp. Saponis medicinalis *drachmas duas*
 Gummiresinae Ammoniaci *drachmam unam*
 Extracti Taraxaci quantum sufficit
 ut fiant pilulae *granorum duorum.*
 Signa. Drei Mal des Tages sechs Stück zu nehmen.

c) *Solutio.*

5. Rp. Saponis medicinalis *unciam semis*
 solve in
 Aquae communis destillatae *unciis duodecim*
 adde
 Syrupi Althaeae *uncias duas.*
 Misce. Signa. Alle zwei Stunden eine halbe Kaffeh-
 schale voll zu nehmen.
6. Rp. Saponis medicat. *scrupulum unum*
 Lapidum cancrorum *drachmam semis*
 Gummi mimosae *drachmam unam*
 Aquae Foeniculi *uncias tres*
 Sacchari albi *drachmas duas.*
 Misce. Signa. Alle zwei Stunden, wohl umgeschüttelt
 einen halben Theelöffel voll zu nehmen. (*Für*
Hinder.)

B. Externo usui destinatae.

Cataplasma.

1. Rp. Micae panis *unciam quatuor*
 Saponis Veneti *unciam semis.*
 Coque cum sufficiente quantitate lactis vaccini
 ad consistentiam *Cataplasmatis.*

Signa. Erwärmt aufzulegen.

Plench.

2. Rp. Saponis Veneti *uncias duas*
 Farinae seminum Lini *uncias quatuor.*
 Misc. Signa. Zum Umschlage.

Praeparata.

I. *Spiritus saponatus. Seifengeist.* Paratur secundum pharmacopoeam Austriacam sequenti ratione: Recipe Saponis Veneti uncias tres, Carbonatis lixivae alcalini drachmam unam, Alcoholis gr. sp. 0,910 libram unam et dimidiam, aquae lavandulae libram semis. Digerantur ad perfectam saponis solutionem et filtrata serventur.

Non raro in perniciem aegri et contra omnem indicationem medicam usurpatur, sicuti quotidie medicastros videre licet, ejusdem usum facientes in contusionibus, in debilitate, post luxationes remanente, in glandularum infarctibus, articularum rigiditate, quin ipsis in luxationibus, unde haud raro miserandae sequuntur contracturae musculorum et texturae cellulosaе, nec non organorum indurationes. In paralysibus organorum cum sensilitate depressa magnae efficaciae reperitur.

II. *Linimentum saponato - camphoratum* vulgo *Balsamum Opodeldoc. Campherhaltige Seifensalbe.* Pharm. Austr.

Recipe Saponis Veneti uncias tres, Alcoholis gr. sp. 0,850 libram semis. Digerantur ad perfectam solutionem, cui filtratae addantur sub continua agitatione: Olei destillati lavandulae, — roris marini ana drachma semis, Ammoniae purae liquidae drachmae duae, Camphorae drachma una, serventur in vase bene clauso.

Massa solidescens, calore iterum liquescens, quidquam pellucida, odoris penetrantis. Quae corpus humanum vi stimulante simul solvente adficit. In affectionibus rheumaticis, arthriticis, caractere inflammatorio non raro adhuc vigente, in articulo- rum debilitate, in glandularum tumoribus frigidis, exsulationibus lymphaticis, commendatur; in indivi- duis cute teneriori praeditis sat facile ejus inflam- nationem superficiale[m] ponit.

III. *Emplastrum saponatum. Seifenpflaster.* Ph. Aust. Recipe Emplastri plumbi simplicis libras tres, Saponis Veneti rasi uncias sex, Camphorae unciam semis, misce in Emplastrum.

•In tumoribus glandularum frigidis medicamen- tum egregium; indurationes telae cellulosae, tumo- res cystici, rheumatgia medicamentum in sapone agnoscunt faustum. Ubi emplastris aliis additur, ho- rum virtutem solventem extollit.

Variis in *pharmacopoeis* varia *alia* laudantur *prae- parata*, usui medico destinata. Praecipua eorum sunt:

1. *Potio saponacea (Cadet de Gassicourt Form. magist.)* Rec. Saponis medicinalis, drach. tres, Aquae uncias quatuor, Syrupi Althaeae unciam unam, Ma-

gnesiae drachm. unam. M. Gegen Vergiftung durch Mineralsäuren.

2. *Massa pilularum saponatarum. Seifenpillenmasse.* Rec. Saponis medicinalis, Extracti Taraxaci, Gummi Ammoniaci ana partes aequales.

3. *Pilulae viscerales.* (Pharm. ad paup. cur. accom. ed. Cerutti.) Rec. Fellis Tauri inspissati, Saponis medic., Extracti Taraxaci, Pulv. radiceis Rhei, singulorum drachmam unam. Consp. sem. lycopodii. — Contra torporem tractus intestinorum continuum commendatur, et si fortiori stimulo opus sit, vel Tartari emetici grana tria ad sex, vel Gummi Asae foetidae, aut loco Rhei, Aloës aa drachma dimidia aptissime addi possunt.

4. *Linctus saponatus s. saponaceus.* (Dispen. Lippiac.) Rec. Saponis medic. partem unam, Olei amygdalarum dulcium partes octo, Syrupi Mannae partes duodecim. Triturando misce.

5. *Mel saponis. Seifenhonig.* (Pharm. Bat. ed. Niemann.) Rec. Saponis communis, Mellis aa uncias quatuor, Salis Tartari semunciam, Aquae Fumariae drachmas duas.

Signa. Zur Auflösung schmerzloser Geschwülste.

6. *Bolus antisporicus.* (Richard form.) Rec. Florum Sulfuris grana octo, Saponis medic. grana quatuor, Syrupi Absinthii quantum sufficit ut fiat Bolus. Dentur tales Nr. duo.

Sign. Alle Abend 1 Stück zu nehmen.

7. *Cataplasma saponaceum s. resolvens s. maturans.* (Pharm. castr. Ruthena auct. Wylie.) Rec. Farinae secalitiae partes duas, Saponis nigri, Radicis Cepae tostae, Mellis aa partem unam. F. Cataplasma.

8. *Linimentum Saponis cum Opio.* (Pharm. Lusitan.) Rec. Saponis albi uncias tres, Opii drachmas sex,

Alcoholis uncias sedecim. Solutioni adde Camphorae unciam unam.

9. *Clyster communis.* (Pharm. castr. Ruthena.)

Rec. Saponis drachmas duas, decocti Hordei vel radicis Althaeae, vel infusi seminum Lini, vel florum Chamomillae vel aquae tepidae libram unam. Olei Lini unciam unam. M.

10. *Suppositorium ad alvum sollicitandam.* (Pharm.

Bat. ed. Niemann) Rec. Saponis uncias duas, Salis culinariae unciam unam, Mellis inspissati q. s. M. f. coni diversae magnitudinis. Sign. Vor der Anwendung mit Oel zu bestreichen.

11. *Suppositorium vermifugum.* (Richard. form.)

Rec. Aloës Soccotrinae grana decem, Saponis drachmam unam. M. f. suppositorium. S. Nach jedem Stuhle wieder in den After zu bringen.

12. *Sapo aromaticus pro balneis* (Pharm. Bor.

ed. Dulk.) Rec. Saponis Hispanici uncias quatuor, Amyli uncias duas, Radicis Iridis florentinae unciam unam, Balsami Peruviani s. Indici guttas septem, Olei Bergamottae, — Corticis Citri, — Lavandulae singulorum scrupulum unum. M.

Ingreditur *Sapo alicantinus* s. *hispanicus* porro: Balsamum saponaceum s. saponis, Linimentum saponis (Pharm. Danicae); — Linimentum saponis compositum (Ph. Lond.); Linimentum anodynum (Ph. Edinb.); — Tincturam saponis camphoratam (Ph. Edinb.); — Linimentum stimulans anglicum s. Balsamum vitae externum (Ph. Boruss.); — Pilulas cum kali sulfurato *Willani* (Richard); — Saponem cosmeticum (Ph. Boruss.); Pulverem cosmeticum (Ph. Bat. ed. Niemann) etc.

Sapo domesticus prae ceteris ingreditur Linimen-

tum hydrosulfuratum contra scabiem (*Jadelot*); et Linimentum antiscrofulosum *Hufelandii* etc.

Excepto *Sapone medicato* et alii *Sapones* (connubia oleorum vegetabilium aut pinguedinum animalium cum alcalinis) in usum trahuntur medicum, tam externum, quam internum.

A. Usui externo inserviant:

1. *Sapo domesticus*, seu *Nostras*. *Sapo sebaceus*. *Hausseife*, *gemeine Seife*, *Talgseife*. *Ital.* *Sapone*; *Gall.* *Savon domestique*. Paratur ab opificibus saponariis coctione lixivii saponarii plerumque kalini (*Meisterlauge*) et sebi et decompositione saponis kalini salis culinaris ope. — Rebus alienis onustus, colore sordide albido flavescente - fusco et plerumque rancidus. Purior quidquam *sapo Hungaricus Debrecziniensis* (*die Debrecziner - Seife*.)

2. *Sapo Venetus albus*. *Weisse venetianische Seife*. *Ital.* *Sapone di Venezia*. *Gall.* *Savon du Venice blanc*. *Synonyma*: *Sapo alicantinus*, *hispanicus seu aloënsis*, *sapo albus s. durus*. *Alicantische*, *spanische Seife*, *harte Seife*; *Gall.* *Savon d'Espagne*. Paratur in Europa meridionali e lixivio Sodae caustico et Oleo Olivarum communi coctione. Prostat in sectis parallelopipedis, oblongis, solidis, tactu submollibus, subtenacibus, colore albido; odoris proprii, saponacei uti et saporis; aëri expositus non humescit, imo aëri sicco magis indurescit, ita ut in pulverem album redigi possit; facilis est solutu in aqua pura uti in spiritu vini.

3. *Sapo viridis*, *Sapo niger*, *Sapo mollis* seu *kalinus*. *Grüne oder schwarze Seife*, *Schmierseife*, *Kaliseife*. *Ital.* *Sapone nero*; *Gall.* *Savon noir*.

Paratur praecipue in regionibus septemtrionali-
bus coctione lixivii saponarii kalini et olei cannabis
vel lini (*sapo viridis*) vel adipis piscium — axungiae
Ceti — (*sapo niger*). Massam exhibet mollem, semi-
fluidam, lubricam, tenacem, opacam, colore sordi-
de viridi vel fusco-nigrescente; odore foetido ranci-
do, uti et sapore, simul caustico. Aëri expositus non
indurescit; facilis solutu in aqua et spiritu vini.

Admiscetur praecipue unguentis *psoricis* etc.

B. Usui interno destinantur:

1. *Sapo amygdalinus. Mandelseife.* Ex oleo amygdalarum et kali. Sapo albus, tener, mollis, saporis minus ingrati prioribus.

2. *Sapo de Cacao Gravenhorstii. Cocosnussölseife.* Secundum *Piderit* optime paratur ex quatuor partibus Butyri de Cacao et una parte kali subcarbonici.

3. *Sapo cetaceus. Wallrathseife.* Ex Adipocera cetaria et kali caustico formatus. —

L i t t e r a t u r a .

Chevreul Annales de chimie 88. 89. 94.

Brückner, die Kunst, Seife zu bereiten. Goerlitz
1802.

Sigm. Fr. Hermbstaedt, Wissenschaft des Seifensie-
dens. Berlin 1825.

Benjamin Scholz Lehrbuch der Chemie. 2. Band. Wien
1831.

Pharmacopoea austriaca. Editio quarta emendata.
Vindobonae 1834.

L. F. Herrmann, System der practischen Arzneimit-
tellehre. II. Band. Wien 1826.

A. T. Thomson's vereinigte Pharmacopoeen der Lon-
doner, Edinburger und Dubliner Medicinalcol-
legien; nach der 5. Originalausgabe und als
Uebersicht der brittischen Arzneimittellehre mit
Zusätzen bearbeitet von *A. Braune*. Leipzig
1827.

Ph. Fr. W. Vogt, Lehrbuch der Pharmacodynamik.
II. Band. 2. Auflage. Wien 1823.

Ph. Car. Hartmann, Pharmacologia dynamica. Editio
altera I. Vol. Vindobonae 1829.

Carl Sundelin's Handbuch der speciellen Heilmittel-
lehre I. II. Band. 3. Auflage. Berlin 1833.

Gotthilf Wilhelm Schwartze's pharmacologische Ta-
bellen oder systematische Arzneimittellehre in ta-
bellarischer Form. 2. Auflage. Leipzig 1833.



Theses defendendae.

I.

Vasa spiralia plantarum sunt irritabilitatis et sensibilitatis organa.

II.

Aërolithi sunt atmosphaerae nostrae producta.

III.

Numerabimus (*morbos scilicet febriles*) ab eo die, quo primum febricitavit aliquis, aut inhorruit, aut gravitatem ejus partis persentit.

Aur. Corn. Celsi med. L. II. cap. VII.

IV.

Vena portarum est porta malorum.

V.

Indolem inflammationis cognoscere studens, oculum observet inflammatum.

VI.

Saponis medicati interna applicatio, arctioribus limitibus est circumscribenda.

VII.

In operatione cataractae per extractionem, incisio corneae inferior superiori praeferenda.

VIII.

Hypochondria et Hysteria realiter non differunt.

IX.

Medicasteri multos insanabiles reddunt morbos, et praecipue inexstinguibiles faciunt dolores cephalicos.

X.

Sunt quaedam compositiones in pharmacologia, quae subtilitatem et acumen ingenii humani gloriosissime testantur.

XI.

Exclusio foetus praematuri artificialis nunquam instituenda.

XII.

Aquae minerales e naturae sinu promanantes aegre supplentur per artis chimicae conamina.

XIII.

Ipecacuanha in febris intermittentibus, circumstantiis concedentibus, effectum corticis Chinae multum auget.

XIV.

Incolarum e regionibus calidis calor ab hepatis functione praedominante dependet.

XV.

Vesaniae in flexu nexus psychico-organici rationem suam sufficientem agnoscunt.

XVI.

Catarrhus, aphthae et polypi sunt, morbi membranarum mucosarum solum proprii.
